

## 8 Philosophiæ Ratiocinij, Cap. II.

*implicitè,  
quam in-  
complexa.  
k in quo  
vere confi-  
stat ea fal-  
sitas.*

specie repugnantia in verbis cogeret aliquid incomplexum tribuere apprehensioni complexæ etiam secundum quod complexa esse dicitur. *k* Consistit autem ea falsitas incomplexa ut alii, vel implicitè complexa, ut ego dixi; in hoc præcisè quod apprehendantur obiecta duo implicitè cum illo (quem num. 4. & 5 dicebam) respectu, vel dominatione, inexistèntia &c: cum tamen nulla sit de factò inexistèntia, denominatio: vel contra apprehendantur implicitè cum carentia inexistèntiæ &c: cum tamen illa in se reuera habeant inexistèntiam. Et ut clarior fiam. Non dico apprehensionem complexam ideo præcisè esse falsam, quòd per eam apprehendatur copula, cum tamen in re non sit copula; vel contra apprehendatur non-copula, cum tamen in re sit copula: sic enim num. præcedenti non mihi licuisset negare apprehensionem incomplexam esse pariter capacem falsitatis; quandoquidem per eam quoque nonnunquam apprehenditur aliquid quod nec est, nec esse potest: ut in sententia eorum qui dicunt non esse vere colores in iride: visio, & consequenter apprehensio illi respondens in mente est colorum non existentium: & similiter esset, si Deus concederet oculo nunc speciem rosæ anni præteriti: imò hoc est verum quoties in nobis est memoria obiecti simplicis non existentis. Non itaque ea est mea mens; sed dico apprehensionem complexam ideo esse falsam, quia per eam apprehenditur implicitè ac sub indeterminatione (ut dicebam num. 7 & sequentibus) copula ut existens, quæ tamen non existit; vel è contra, ut non existens, quæ tamen existit.

*l Iudicium  
et discursus  
possunt  
etiam sub-  
iacere er-  
rori.*

Iudicium *l* etiam subiacet prædictis apprehensionum simplicium defectibus, præsertim falsitati; & quidem eo magis quo maiorem, nempe explicitam continet compositionem; ut ex præcedentibus clarum est. Demum discursus ipse, de quo num. 13, eo pluribus atque maioribus defectibus obnoxius est, quo in se vno complectitur & explicitam compositionis copulam, cum sit iudicium; & insuper explicitam illationis copulam cum sit iudicium illatiuum. Et manifestum est ei plura & maiora inesse vitia, cui plures & maiores defunt quæ deberent adesse, perfectiones.

*17  
m Eorum  
observatio-  
ne defectuum  
evidètia sunt  
leges recte  
ratiocinan-  
di.*

Cum *m* itaque mens humana satis aduertat labi se nonnunquam in eos quos recensui defectus errorisque suarum operationum; & id non immerito sibi esse non leue damnum in ea, ad quam anhelat, veritatum perfectæ notitia conquirenda: hinc factum est, ut præcipua cura in id incubuerit, ut attentius in se ipsam reflexa notaret sibi singulorum occasiones & causas errorum, eosque hoc modo probe cognitos sigillatim aut vitaret cautior, vel emendaret.

Et sic tandem post multam hinc vitandi, hinc emendandi experientiam eruditior facta, plenis ratiocinij sui quasi velis apperto sese credidit Philosophiæ pelago; quin etiam post faelicè ausus, & conceptam spem euidenter tutissimæ in posterum ea observatione futuræ navigationis, velut sapiens nauita certissimas scripsit nauigandi leges, quibus rite seruatis peruenire etiam possit ad optatum aureæ sapientiæ vellus. *n* Hæ vero leges sunt ipsa recte ratiocinandi præcepta, quibus vna integra constat ars, quæ receptrissimo nomine vocatur Logica, & apud alios (ut in præfatione dixi) Philosophia rationalis.

*n Ex quibus  
constat  
ars: quæ di-  
citur Logi-  
ca vel Phi-  
losophia  
rationalis.*

*18  
o Logica  
est Philo-  
sophia pars  
& nihilominus  
est ars.*

*p Imò  
est scientia.*

Neque *o* putes illi esse dedecus: quod cum sit Philosophia, vel sane pars Philosophiæ; eam vocauerim artem: artes enim ipsæ præsertim liberales, cum suam non minus theoriam habeant, quàm praxim, continentur & ipsæ intra Philosophiæ fines, siquidem & ad sapientem spectat scire optimum in re quavis agendi modum, quem præscribere artis est. Et mens igitur, eo ipso sapiens est, quod bene nouit optimum atque certissimum ratiocinandi modum, quem præscribere Logicæ est; ipsaque vere ars est, quia eum præscribit; *p* quamquam & sit vere ob id ipsum scientia, vt pote quia eum non mere mechanice, ut dicitur, & cæco modo, sed scientifice præscribit.

*19  
Logica itè  
est practica  
& speculatiua,  
instituta  
necessaria  
ad reli-  
quas scien-  
tias capes-  
sèdas, eius-  
que opus  
est dirigere  
operationes  
mentis.*

Habes hic paucis quidem verbis, sed ad propositum sufficienter, quin & à priori expressum: primo cur Logica vocetur Philosophia rationalis. 2 cur vocetur ars, & simul pars Philosophiæ. 3 eandem esse & practicam & speculatiuam. 4 institutam esse ad reliquas comparandas scientias. 5 ad id esse necessariam. 6 demum in particulari totum eius negotium versari in dirigendis operationibus mentis; id est dirigenda mente apprehendente, iudicante, ratiocinante; ut ex lege ac rite apprehendat, iudicet; ratiocinetur; ne confuse apprehendat, falso iudicet, perperam concludat. Nec iam ulterius puto quaerendum quifnam sit finis, vel quod obiectum Logicæ.

### CAPVT II.

*De signis operationum mentis, ac præcipue incomplexis.*

*x  
Voces ad  
quid insti-  
tuta, & à  
uisus, &*

**I**N a primis signum esse intelligitur id quod facultati cogoscenti repræsentat aliquid à se distinctum. Signo autem opus tunc est quando id quod est cognoscendum, occultum est per se vel aliqua alia ex causâ, vnde cum operationes mentis internæ sint, ac per se in se